



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1699

Decas IX. Ab anno 80. ad annum 90.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64743)



DECAS IX.

✽ Ab anno 80. ad annum 90. ✽

81. **V**Espasianus profluvio ventris moritur, & Titus filius imperat.

Mons Vesuvius in Campania exardescens totas urbes & regiones exurit. Incendium hoc secuta gravissima lues, quâ multi mortalium sunt elati.

✽(82.&83.)✽ Roma eruptione Vesuvii satis afflictâ, iterum incendio cœlitus immisso tribus diebus & totidem noctibus magna ex parte conflagravit.

Titus Imperator dictus ob mansuetudinem **AMOR ET DELICIÆ GENERIS HUMANI** veneno per Domitianum fratrem porrecto mortem oppetiit.

Domitianus in Imperio Tito succedit & gravissimis pœnis adulterium & pudicitiam, præsertim à nobilibus sceminis violatam plectit.

✽(84.&85.)✽ Domitians edicto proscribit Philosophos, qui hoc ipso sæculo, quo Apostoli peragrârunt orbem ad imbuendos populos Christianâ religione, ipsi quoq; provincias obiverunt, eo prætextu, ut mores labefactatos corrigerent, ita tamen; ut in superstitionibus avitis homines

con-

continerent, itaque rei Christianæ maximè obstiterunt.

✽(86.&87.)✽ Christiani summo odio apud Gentiles sunt, ut scribat Tertullianus, gentiles Christianum hominem omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum & totius naturæ inimicum existimasse. ideoque ceu publicos hostes habitos & omnium causam malorum, ita ut si Tiberis ascenderet, si Nilus non effunderet se in arva, si terra moveretur, si fames, si lues, statim Christiani peterentur.

✽(88.89.90.)✽ Domitianus eo vanitatis venit, ut se Deum & Dominum, imò Deæ Virginis, nimirum Palladis filium appellari voluerit.

Susplicari prudenter possumus ideo filium Virginis appellari voluisse, quòd Josephus Judæus ejus lateri continuo inhaerens suggererit Domitiano adulatoriè illud ex oraculis prophetarum, fore ut rex in perpetuum regnaturus esset filius Virginis, unde etiam spe regni perpetui inquiri jussit in Judæos superstites de genere David, quod Vespasianus eodem Josepho adulatore persuasus regni sui non fore finem, similiter indagari præcepit.

DE-